

sentiatur, quicumque perpenderit diver-
sum scribendi tum tempus tum scopum:
Minus enim cum ceteris Opusculis in
Principis Palatini gratiam conscriptum:
Majus à Cel. Suicero ex Theologia
Altingii Historica, ubi non Compendii
vicem, sed historicum Theologiæ con-
spectum generalem ob oculos ponit, de-
sumtum fuit; idque haud absque son-
tica causa, cum Minus Compendium
externam Ecclesiæ per sua temporis in-
tervalla ratione fatorum maximè;
Majus verò, ut appellatur, ejus in-
teriore doctrine ratione faciem con-
spiciendam præbeat. E re itaque, me
quidem iudice, erit, Utrumque in lectio-
ne componere, ut fata externa è Mi-
nore, doctrinam autem è Majore nullo
negotio, methodo, ut superius monitum à
nobis est, haud quaquam obstante.
petas. Quid autem in laudando Com-
pendio multum desudamus, cujus Aucto-
res in Orbem noti sunt, quorum vel sola
Nomina Illud omnibus nostris laudibus
efficaciùs fortiùsque commendare apta
nata sunt? Vale igitur B.L. & conamina
nostra æqui bonique consule. Dabam
Tiguri IV. Nonas Febr. M D CCVII.

COM.